



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

VI. Beatam item dicunt Mariam Apostoli & Evangelistæ. Quia maximo post  
Deum cultu dignam censuerunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

multis annis te permanere permittit, & tunc per tua prudentissima verba, gestus honestissimos, & opera virtuosa innumerabiles Judæos & Infideles Paganos, ad Catholicam fidem convertit. Unde à *S. Ignatio epist. ad Joannem* vocatur nostræ Religionis Magistra. *A Ruperto lib. 1. in Cantic. Magistra Magistrorum. A S. Ephrem de laud. V. Spes Apostolorum unica. Andr. Cret. orat. 2. de Assumpt. Summa Divinorum oraculorum Idea. Orat. in salut. Ang. Præconium verissimum inæstimabilem Dei oraculorum. Idem orat. 2. de Assumpt. Declaratio occultorum & profundorum Divinæ incomprehensibilitatis. Rupert. lib. 4. in Cantic. Sacrarum Scripturarum Sanctarum. Bonav. in laud. B. Virginis. Verus Liber legis. Gregorius. Receptaculum supercælestis lætitiæ & mysteriorum omnium. Rursus ab *Andr. Cret. orat. 2. de Assumpt. Volumen novi testamenti à Deo scriptum. Ab August. serm. 2. de tempore. Magistra gentium. Iterum à Ruperto lib. 1. in cantic. Magistra Religionis ac fidei. A Buteo: in hymno. Os fertissimum Apostolorum. Ab Hugone de S. Victor. serm. 47. Balsamum mundum universum opinionis optimæ redolentiæ inæstimabiliter adimplens. Ab Anselm. alloq. cel. 21. Candelabrum in medio mundi. Et adhuc ab *Andr. Cret. orat. 2. de Assumpt. Propugnaculum fidei Christianorum. A S. Germ. orat. de zona B. V. Spiritus & Vita Christianorum. Ambros. de Instit. Virg. cap. 7. Aula cælestium Sacramentorum. S. Germ. orat. de Nativit. B. Virg. Sigillum novi & veteris testamenti. Ibidem. Supplementum clarissimum totius Prophetiæ.***

Concludat *Bernardinus tom. 2. serm. de B. Virgine. Ioannes in Apocalip. De Throno ait, scilicet de Maria procedebant fulgura, & voces, & tonitrus, quæ Mater Filij Iesu Christi; parabolas, ænigmata, legalia, mirifica gesta, dicta, opera, avidius exhibit, fidelius credit, sincerius, luculentiusque alij edidit.*

6. Beatam item dicunt Mariam Apostoli & Evangelistæ.  
Quia maximo post Deum cultu dignam  
consueverunt.

Quanto affectu in Særam Virginem ferebantur Apostoli, cæterique Domini Discipuli verbis exprimere admodum difficile est. Habebant enim hunc singularem erga S. Virginem affectus stimulum Apostoli, quia ut docet *Ubertinus relatus à Cartagena lib. 4. de laud. Virg. art. 16. Per tantæ Matris suspiria & orationes ( Spiritu S.) cælitus afflari atque impleri meruerunt.*

Clariss

Clarius idipsum *Baptista Novatus de eminent. Deip. cap. 19. q. II.* Quod B. Virginis preces gratiam Apostolis obtinuerint, per quam ad dignè recipiendum Spiritum S. se disponerent, nemini dubium esse debet. Unde etiam teste *Idiota contempl. cap. 5.* In prædicatione Apostolorum in omnem terram exivit sonus SSimi Nominis Mariæ, & manifestum toti mundo factum est. Inde à *S. Ephem. serm. de laud. Virg.* vocatur Apostolorum Præconium. A *S. Bonav. super salve. Jucundissima* Apostolorum Laus. Hinc ut *Petrus Galestinus in suo Martyrolog.* Assumptionis celebritas ab Apostolis instituta putatur, ut facile è latinis & græcis concionibus cognosci potest. Sabbatum etiam ab iisdem honori Virgineo consecratum docet *Augustinus Wiebmaus cap. 2.*

Ab iisdem recitatam Salutationem Angelicam in honorem Virginis B. *Alanus Rupensis Apolog. cap. 15. docet.* S. *Hieron. serm. de Assumpt.* Mariam omnes venerati sunt Apostoli, ejus dilectionis affectu famulati. Hinc eos *Richard. lib. 10. de laudib. Virg.* confert leunculis duodecim stantibus ante thronum Salomonis, & addit. Quod in gradibus stabant, & scabellis, significat quod licet essent sanctissimi, tamen non attingebant tantam sanctitatem. Assistebant verò ut Discipuli Magistræ. Sic enim *Idesons: serm. 5. de Assumpt.* Ut ab ea discerent qualiter arcanum tanti Mysterij & ipsi crederent lucidiùs, & alijs enarrarent, & cum oportunum fuerit, sine omni ambiguitate scriptis mundo relinquerent.

*Amedeus Lausanensis hom. 7. de laud. Virg.* Voluit enim Dominus IESUS, ut ipso ad Patrem revertente, Apostoli Materno solatio & eruditione fruerentur. Quia ut *S. Thomas de Villanova conc. 3. de Assumpt.* Mariæ propter singularem eruditionem Cælestis Magister ad Patrem undè venerat rediturus, scholam & cathedram suam reliquit, non quidem ut oves suas regeret, sicut Petrus, sed ut Discipulos suos cælesti sapientia quam ab initio didicerat, erudiret, quoniam & propter ingenij vivacitatem, & diuturnioris scholæ assiduitatem, cæteris omnibus Condiscipulis sapientior & doctior habebatur, quam quidem scholam duodecim annis, ut fertur rexit ac tenuit. Nam ut *in cantio. Rupertus.* Vox Virginis, vox Spiritus Sancti fuit, & ejus dona ex ore Virginis perveniebant. Exclamat hic *Idiota contempl. cap. 3.* O Beatissima Virgo Maria Doctrinæ fuiti Doctorum, & Magistræ Apostolorum. Unde & *Beatus Lucas,* cui inter cæteros Evangelistas descriptio Dominicæ Incarnationis attribuitur, Evangelij seriem à te Virgine didicisse traditur.

Certè *Jacobus de Vitriaco* de S. Petro, ut ab eo incipiamus, hoc quod sequitur, narrat *bibl. orient. cap. 44.* Anderadi quæ hodie Fortosa dicitur, Civitas, cum Jerosolymâ transiret Antiochiam Phœnicem circumiens S. Petrus, honori B. Virginis fundavit

Ecclesiam adhuc viventis, & in ea celebravit sacra mysteria, non solum autem à Christianis, sed & à Saracenis in magna habetur reverentia. *Colvenerius in Calendario 1. Aug.* hæc habet: Romæ dedicatio primæ Ecclesiæ à Beato Petro constructæ, illa fuit in fonte olei trans tyberim in honorem B. Virginis. Idem S. Petrus Apostolus in Syria templum B. Virgini erexit, quod teste *Jacobo Virriensi* apud Spinellum edit. Neapol. fol. 400. non solum à Christianis, sed etiam à Saracenis magna habetur in reverentia.

Jam à Petro ad dilectum ejus Coapostolum transeamus, scilicet Paulum, ita ille inter cætera in *Menais 15. Aug. ex S. Sabba* Virgini morienti valedicit. Vale ô Genitrix vitæ, vale primaria prædicationis meæ materia, licet enim Christum in hac vita degentem non viderim, tamen tuus aspectus eum mihi repræsentabat. Hic Paulus eò usque apud Messanenses in Sicilia cultum Virginis S. prorexit, ut adhuc ad viventem legationem splendidam instituerint. Uti fuse ducit P. *Inchopber*. Idem S. Paulus Corynthum profectus apud Aquilam Ponticum & uxorem ejus Priscillam per sesquiannum hospes scripsit epistolas duas ad Theffalonicenses, in quarum altera commendavit illis traditiones Patrum servandas, inter quas teste *Baron. an. 53. num. 14.* fuerunt festa ab Apostolis in honorem B. Virginis instituta. De S. Barnaba ejus Socio narrat *Joan. Castellanus in antiq. Mediol.* Quod cum primo in agro Ticinensi constitisset templum Jovis, ibi expiaverit, & S. Virgini consecraverit, idemque ab eo factum postea Mediolani testantur ejus Ecclesiæ monumenta. S. Thomas Apostolus ut scribit *Barthol. pisanus lib. 5. de laud. Virg. fructu 8.* in orientalem Indiam secum imaginem S. Virginis detulit, ut annunciatum ijs populis vero Deo, Matrem etiam ejus indicaret. Et ut *Maravius in S. Thoma.* Ut facilius ad Christum populos duceret, creditur ejusdem Virginis templa apud Indos fundasse, & quidem in templi fabrica, quod est Meliapore, & à *Cancellato Anno Virg. 87.* S. Thomæ adscribitur id miraculi accidisse.

Memorant Indorum historix *Ausbore Maffeo lib. 2.* Ingenti mole trabem in littus eiecerat mare, quæ neque vi hominum, neque Elephantum moveri poterat, nedum deduci ad eum locum, ad quem Princeps Indus destinaverat; suscipit negotium Divus Thomas trabis deducendæ, dum templo Virgineo cedit. Concessum est. Apostolus zonâ suâ alligatam traxit per milliaria decem & in loco templi Virginei collocavit erectam addito vaticinio, cum eo mare pervenisset, venturos de novo, qui eos fidem docerent, quod demùm accidit, cum *S. Franc. Xaverius* fidem illic restaurasset. Idem Apostolus cum hastis, quibus occubere confingeretur, à Deipara inter manus exceptus, gloriosum reddidit Spiritum, lib- que

que in complexu crucis lapideæ, quam idem erexerat, & omnes ejus terminos fortè in honorem Virginis in lilia fecerat desinare, quæ sanguine ejusdem respersa. (*Ribad. in vita S. Thoma.*) Quæ decimo quinto Calendas Decemb: quoties Evangelium legitur, sanguine illo guttatim perfunditur, festum eo tempore apud Hispanos est Expectationis Virginei partus.

*S. Jerosol. primus Episcopus Jacobus, Frater Dni, & Apostolus, ita Matrem Dei in sua Iurgia decantat.* Commemoremus SSmam gloriosissimam, immaculatam, benedictam Dominam nostram Dei Matrem, & sempiterna Virginitate præditam Mariam. Et paulò post chorum Sacerdotum sic respondere docet. Dignum est ut te verè Beatam dicamus Deiparam, culpæ prorsus expertem, in quam reprehensio non cadit, Dei nostri Matrem honorabiliorem Cherubim, gloriosiorum Seraphim, quæ Deum Verbum incorrupta peperisti, te proinde verissimè collaudamus, & magnificis verbis extollimus, tibi ò plena gratia rerum universitas gratulatur, Angelorum cætus & hominum genus applaudit, Templum Sanctitatis, Paradisus mundissimæ voluptatis, quæ Spiritus ipse reficitur, & animus recreatur, Gloria Virginum, ex qua Deus corpus assumpsit, & puer factus est, qui ab omni æternitate suâ vi, & potestate cohærens, idem & semper est unus, tuum ille uterum thronum suum fecit, cælisque ipsis reddidit ampliorem. Tibi ò gratiâ plena, mundus acclamat gloria tibi.

A Jacobi prædicatione (*sic Dexter in Chronico ad annũ 308. adductus à Maravio in Apostolis fol. 138.*) Celebratur in Hispania festum Immaculatæ & Illibatæ Conceptionis Dei Genitricis Mariæ. Quod tamen de festo Incarnationis intelligi vult idem *Maravius*. Neq; hunc Sancti Apostoli erga Virginem affectum miraberis, si verba *S. Anselmi* de illa expendis *lib. 4. de Virt. Virg. B. cap. 3.* Apostolorum Apostola Virgo dicitur, per quam principalis ipsis fidei Principibus illuxit doctrina, quam scilicet deinde prædicarunt, & per quam orbem illustrarunt.

*Petrus Anton. Beuterus* hæc habet in *Chronicis Hispanicis cap. 23.* In fluvij Iberis ripa prope Cæsaraugustam Arragonum urbem B. V. apparuit S. Iacobo, qui eodem loco Angelico jussu sacellum extruxit Virgini, quod contigit circa annum Tiberij Imperat. xx. Multi alij de hoc templo scribunt, nam & miraculis claret, appellatur à Columna. De Ioanne satis est dixisse, quod scripsit *S. Ildesonus serm. 6. de Assumpt.* Quòd scilicet præ cæteris Mariam coleret, ac veneraretur eisdemque commendatione magistri sui ad finem vitæ usque quasi Filius Matris assisteret. *S. Hieron. serm. de Assumpt.* Sanè B. Virginem etsi omnes venerant, sunt Discipuli, eique famulabantur affectu dilectionis, Ioannes tamen amplius ac specia-

ac specialius. Idem sensus est verborum *S. Ildesonsi serm. 6. de Assumpt.* Quia *Thomas de Villanova serm. de S. Joan. Evangelista.* Cum Christus dixit in cruce: Ecce Filius tuus &c. impresit statim cordi Virgineo amorem quendam Maternum in Joannem, fortiorem & ardentiolem, quam solet natura matribus tribuere. Visceribus etiam Apostoli reverentiam filialem in Virginem inferuit, qualem nullus filius naturam habet in matrem: Unde *S. Joannes* ipsemet in visione dixit *S. Mechtildi.* Ego ex verbis Matris Domini mei tantam consolationem habebam, quod nunquam verbum ex illa audivi, quin speciale gaudium perciperem. Idem tamen (*ut est ibidem*) nunquam *S. Virginis* faciem aspexit, ob magnam reverentiam. Idem saepe coram *S. Virgine* missam dixit, & communionem veluti proprius Parochus impertivit.

*Maraccius in S. Joan.* Certè *S. Joannis* & *Pauli* enituit erga Virginem veneratione, ad quam etiam ceteros ducebat. Colligi potest ex epistola *Dionysii Areopagiti* ad *D. Paulum* data; quam veram esse probat, & refert *Ferreolus in Maria Anglica lib. 5. cap. 6.* Titulus hic est. Servus, & novissimus vinctus *Dionysius* electissimo vasi caelico *Paulo* Praeceptorum, & Principi salutem. Ipsa epistola sic habet. Confiteor coram Deo, Princeps mihi, ab hominibus non posse percipi, quam ego oculis non tantum mentis, sed corporis vidi, perspexi, atque proprijs oculis intui sum, Deiformem, atque supra omnes Caelicos Spiritus Sanctissimam Matrem Christi Jesu Domini nostri, quam mihi benignitas Dei & clementia Salvatoris, & gloria majestatis Deiformis Virginis Matris ejus ostendere dignata est; quoniam cum à Joanne vertice Evangelij, & Prophetarum qui corpore habitans in terra, quasi sol fulget in caelo, ductus fui ad Deiformem praesentiam altissima Virginis, tantus me immensus Divinus splendor circumfulsit exterius, & plenus irradiavit interius: tanta enim in me omnium odoramentorum superabundans flagrantia, ut nec corpus infelix, nec spiritus posset totius, ac tantae felicitatis insignia sustinere. Defecit cor meum, defecit spiritus meus tantae gloriae majestate oppressus. Testor qui adorat in Virgine Deum, si tua doctrina non me docuisset, hanc verum Deum esse credidissem, quoniam nulla major gloria videri posset beatorum, quam felicitas illa, quam ego infelix nunc, tunc vero felicissimus degustavi. Gratias ago summo, atque optimo Deo, Divinaeque Virgini, atque eminentissimo Apostolo Joanni, & tibi Ecclesiae Vertici, at Principi, qui triumphanti mihi talia clarissime atque clementissime praestitistis.

De S. Andrea in epistola Presbyterorum Achaiae hoc habemus. Quod eximius Virginis ejusdem imprimis conceptus immaculati Assertor fuerit. Sic enim ibi docet. Sicut primus Adam formatus est ex terra antequam esset maledicta: ita secundus formatus est ex terra Virginis nunquam maledicta. S. Mattheus in liturgia quae Aethiopibus reliquit teste Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 60. sect. 1. hæc scripsit. Latere immaculata verè Regina, latere Gloria nostrorum Parentum, quia peperit nobis Emmanuelem. O verè Mediatrix ante Dominum nostrum Iesum Christum, te supplices exoramus, ut memor sis nostri, ora pro nobis ut deleantur iniquitates nostræ. Remunerata affectum Virgo, rem ex Cancellato accipiamus. Anno Virgin. 104. Mercator quidam surripuerat in Creta Insula Virginis S. imaginem, ac cum ea Romam pervenit, & templo imaginem alicui destinavit, sed ab uxore nè id faceret, detentus, ter per visum à S. Virgine prioris consilij admonitus neglexit, atque est ita mortuus. Præbet se Virgo S. filiolarum mortui quinquenni videndam, ac monet, ut imago sua in templum S. Matthiae defertur, quod & factum est.

Quod Concilium Apostolorum constituit festum D. Virginis, & quidem sub titulo Immaculatae Conceptionis, testatur Julianus in Chronico num. 607. Ita & Oieda de Concept. fund. 1. cap. 2. Ostendit quod Conceptionem Divæ hujus prædicaverit S. Andreas, S. Mattheus, S. Thomas, S. Matthias, S. Jacobus minor. S. Bartholomæum pro Virginitate SSæ concionantem audiamus. Ita ille apud Abasiam Babylonicum lib. 8. Hæc Virgo cum execraretur omnem virum, prima omnipotenti Deo vovit. Primam autem dixi, quia ex quo homo factus est ab initio sæculi, nulla hoc votum Deo obtulit. Hæc ergo inter feminas prima constituit in corde suo, ut diceret: Domine offero tibi Virginitatem meam, cum hoc à nullo homine verbo didicisset, nec exemplo ad imitationem videlicet invita constitisset, ut Virgo pro amore Dei specialiter permaneret. Et licet hic Scriptor ab aliquibus rejiciatur, admittitur tamen ab alijs pijs ac doctis Scriptoribus, ut dicitur in epist. B. Virg. fol. 7. Idem Oieda qui supra ostendit quod ex Evangelistis Marcus & S. Lucas qui etiam tot imaginibus Virginis depictis suam erga illam devotionem testatam reliquit.

Eadem procul dubio fuit aliorum ejus Collegarum pietas, & quidem de Joanne ac Mattheo iam dictum est. De Marco aliquid attingamus. S. Marcus Evangelista in sua liturgia. Imprimis SSæ nostræ Intemeratae & Benedictæ Dnæ Dei Genitricis & semper Virginis Mariæ. Si tamen quis quærat cur tam modica de Virginitate relicta sint in libris sacris? Respondet B. Ludovicus Bertran: in serm. de B. Virgine.

Immaculata

*Immacul. Concept. verbis S. Ambrosij.* Solum dicere quod Maria Mater Dei est, supra totum est, quod sub Deo dici potest. Et addit *B. Ludovicus.* Nam universa encomium, laus, & applausus, quæ de Maria prædicari possent, in unico Matris Dei elogio, ac prærogativa clauduntur, seu quod perinde est, in eo quod nos eam dicamus fuisse Dei Genitricem, sicut illa verba Evangelij testantur: De qua natus est Iesus. Sed in particulari ad devotionem Apostolicam erga B. Virginem descendamus. *B. Alanus de Rupe in Apol. cap. 10.* scribit revelatum fuisse à B. Virgine cuidam Personæ, quod Apostoli utebantur hac oratione. *Ave Maria* etiam B. Virgine vivente. *Et paulò post.* Quod D. Iesus frequentissimè in mundo hoc eam orabat, non necessitate, sed exemplaritate, & signanter ad Mariam Divinalem, prout est in Divina intelligentia. Et certè *S. Jacobus in lityrgia.* Ave Maria gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, quia Salvatorem peperisti animarum nostrarum. *Syri, quæ uti Discipuli Apostolorum fuerunt, ita lityrgiam probabilissimè ab Apostolis acceperunt, in qua hæc habent:* Pax tibi Maria, gratia plena, Dominus noster tecum, benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus qui est in utero tuo Iesus Christus sancta Maria Mater Dei dulcissima, ora pro nobis peccatoribus amen. Affectu hic Apostolicus erga Virginem mansit in Discipulis, & certè Romæ adhuc illis tempestuosissimis temporibus cum persecutio Tyrannorum Romæ deservisset Mariano nomini quadraginta fuisse templa erecta testatur *Andreas Fulvius, in Æthiopia à Francisco Alvarez, qui hæc literis mandavit, quemque Thomas Bosius lib. 9. de signis Ecclesie cap. 9.* vocat Scriptorem integerrimæ fidei, visum est templum à Candace Æthyopum Regina in Auxumo magnificentissimè constructum, Deiparæ consecratum, & miraculis olim nobilitatum, & tametsi omnes Æthyopum Reginæ teste *Strabone* Candaces nominarentur, asserunt tamen Æthyopes eam quæ templum istud posuit, illam fuisse cuius Eunuchus baptismo instratus à Philippo Diacono *act. 8.* Ita *Spinellus in edit. Neapolit. anni 1613. pag. 400.*

Hic jam aliquot Apostolorum Discipulos adnumeremus. *S. Hieronymus S. Dionys. Areopagitæ Magister, ut idem de illo lib. de div. nom. cap. 3.* hymnos in laudem S. Virginis composuit. *S. Ignatius M. ut Socrat. hist. lib. 6. cap. 8.* hymnos omnes ac cantum, tum specialiter de B. Virg. in Ecclesiam induit. *S. Romulus Fesulus à S. Petro missus Episcopus D. Virginis imaginem, Apostolorum donum templo extructo honoravit, quæ quod eò loci prima fuisset, dicta S. Mariæ Primeranæ. Ugellus in Italia sacra tom. 3. S. Trophimus in Gallias missus postquam Arelathe in palatio locum divino cultui obtinisset, Sacellum Virginis S. erexit. Martyrol. Gall. 29. Dec. S. Paulinus è Divi Petri disciplina Lucæ in Etruria accepit Episcopatum, & statim Divæ templum erexit. *Frauciotes in ejus vita.**

Aliqua



Aliqua horum similia adducimus, ubi ope Virginis gentes ad fidem convertas demonstramus. Studium in reliquis Apostolorum Discipulis par erga Virginem credere licet, quoniam suorum Magistrorum spiritum referebant.

7. Beatam dicunt Martyres, quia & ipsa est plùs quàm Martyr, & Martyrum Corona.

Teste enim *Damasc. lib. 4. de fide cap. 1.* Quos in partu dolores effugerat, passionis tempore sustinuit, utque pro Materno suo affectu viscera sibi lacerari senserit. Undè *Daniel Mallonius ex S. Germano lib. de Christi stigm. cap. 5. num. 16.* docet: quod sanguineas Virgo fuderit lachrymas. Causa videtur dari apud *S. Hieron. serm. de Assumpt.* Quia spiritualiter, & atrocius passa est gladio passionis Christi, ideo plùs quàm Martyr fuit. Et *B. Ildes. serm. 2. de Assumpt.* Quod si gladius alludit ad *Luc. 2.*) usque ad *animam* pervenit, quando ad crucem stetit fugientibus Apostolis, cum videret Dominum pendentem, etiam plùs quàm Martyr fuit, quia in animo, non minùs amoris, quàm mæroris, & intus gladio vulnerata.

Hinc *S. Bernardus in verba signum magnum ex 2. Apocal.* Verè tuam ô B. Mater animam gladius pertransivit, quando crudelis lancea Filio jam mortuo latus aperuit, ipsius nimirum anima jam tibi non erat, sed tua planè avelli nequibat, ut plùs quàm Martyrem te meritò prædicemus, in qua sensum corporeæ passionis excessit affectus compassionis. Sicut igitur dies illi quibus S. Martyres mortem pro Christo oppetièrunt, (sunt in veneratione;) sic quia B. Virgo die sabbati, quo mortuum corpus in sepulchro jacuit, & ipsa continuato dolore procedentis diei, in magna animi afflictione perseveravit, rectè in ejus honorem sabbatum scilicet universalis Ecclesia consecravit. *S. Anselm. lib. de Excellentia Virg. cap. 5.* Verè pertransivit animam tuam gladius doloris, qui tibi amarior fuit omnibus doloribus rei cuiusvis corporeæ. Quidquid enim crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leve fuit, aut potius nihil comparatione tuæ passionis, quæ nimirum sua immensitate transfixit cuncta penetrabilia, tuique benignissimi cordis intima. *Sophron. serm. de Assumpt. B. Virg.* Virgo Dei Genitrix, quia in ea parte passa est, quæ impassibilis habetur, ideo (ut ita fatear) quia spiritualiter, & atrocius passa est gladio passionis Christi, plùs quàm Martyr fuit. Undè constat, quia plùs omnibus dilexit, propterea & plùs doluit, in tantum, ut animam ejus totam pertransiret & possideret vis doloris, ad testimonium eximie dilectionis, quæ quia mente passa est, plùs quàm Martyr fuit, nimirum & ejus dilectio amplius fortis, quàm mors fuit, quia mortem Christi suam fecit.

N

Inter